

Mirantur ferrum, plus jacentis opus
 Quid faceret jam rex aberat, jam pugna tepebat
 Maurorum primos abstulerat gladius.
 Tandem jam victi nimium belloque fameque
 Consilio unanimi reddere castra volunt.
 Pandunt port penetralia cuncta pa-tescunt,
 Servitio Regis urbs labefacta venit.
 Protinus optata flernuntur, haud mora in urbe,
 Franci victores hostibus imperitant.
 Sabbatum erat sacrum, cum res est ista peracta,
 Quando prius Francis urbs patefacta fuit.
 Namque sequente die festo conscendit in urbem
 Rex Hludoviccus ovans solvere vota Deo,
 Mundavitque locos ibi Dæmonis alma colebant,
 Et christo grates reddidit ipse pias.
 Missis dante Deo remeat custodibus odes
 Ad propias victor Rex populusque suus.
 Ducitur interea ad Carolum longo ordine præda
 Maurorum spoliis muneribusque ducum
 Arma et loricae, vestes galeaque comantes,
 Partus equus phaleris, aurea fræna simul.
 Zado tremens nimium nolensque revisere Francos,
 Pergit et ipse pigno consociante.....

Νάω. 9

Textos de las Crónicas francas compiladas por Duchesne que se refieren al sitio y toma de Barcelona por las armas de Ludovico Pio (pág. 95).

A.—*Chronicon Moyssiæcensis Cænobii* (tom. 3, pág. 144.) Eo autem regnante in Spania (*scilicet Abulæz*), missit Karolus Imperator Ludovicum filium suum Regem in Aquitania, ab obsidendam et capiendam civitatem Barcinna. Qui congregato exercitu ex Aquitania, Wasconia, necnon de Burgundia, Provincia atque Gothia, misit eos ante se ad obsidionem civitatis. Qui abeuntes, circumdedit exercitus civitatem, et obsederunt mensibus VII. Ceperuntque Regem civitatis illius nomine Saton. Cùmque panes defuissent in civitate, et jam capienda esset civitas, miserunt ad Ludovicum Regem, ut veniret Barcinna, quia

jam capienda erat civitas: ut cùm capta fuisset, nomini ejus ascriberetur victoria. Venit autem præfatus Rex Ludovicus ad civitatem, et tradita est civitas in manus ejus. Constituitque illic custodiam et armamenta. Regem verò civitatis illius Saton vinctum compedibus misit ad patrem suum Karolum Regem Imperatorem in Francia.

B.—*Anonimi Astronomi «Vita et actus Ludovici Pii»* (tom. 2, pág. 290.) His peractis, succedente tempore, visum est Regi et Consiliariis ejus, ut ad Barcinonam oppugnandam ire deberent: divisoque in tres partes exercitu, unam quidem Ruscellioni ipse permanens secum retinuit: alteri obsidionem urbis injunxit, cui Rotstagnus Comes Gerundæ præfuit: tertiam autem, ne fortè obsidentes urbem improvisè ab hostibus occuparentur, ultra urbem sedere præmisit. Obsessi interea intra urbem, Cordubam miserunt auxiliumque poposcerunt. Rex verò Sarracenorum protinus auxiliatus eis exercitum direxit. Venientibus porrò his, qui missi fuerant Cæsaraugustam, relatum est eis de exercitu in via sibi obviam constituto. Erat autem ibi Wilelmus, primus signifer Hadermarus, et cum eis validum auxilium. Quod illi audientes, in Astures sese vertierunt, clademque eis improvisè importaverunt, sed multo graviorem reportaverunt. Quibus recedentibus, nostri ad socios urbem obsidentes reversi sunt, et illis juncti tamdiu urbem obambientes, et nullum ingredi aut egredi permittentes, vexarunt, donec famis acerbitate coacti sunt etiam vetustissima ostiis coria detrahere, et in cibum infelicissimum vertere. Alii autem mortem infelicissimæ præponentes vitæ, è muris semet præcipites mittebant, aliqui verò spe animabantur inani, cogitantes quod franci hiemis asperitate à civitatis cohiberentur obsidione. Sed hanc illorum spem absceidit prudentium virorum consilium. Advecta enim undecumque materia, cæperunt extruere casas, veluti in hibernis ibidem mansuri. Quod cernentes civitatis habitatores, à spe deciderunt, et ad desperationem ultimam versi, suum principem Zaddonis cognatum tradiderunt, quem pro eo constituerant, nomine Hamur, et se et civitatem, concessa facultate secedendi dederunt hoc modo. Quum enim longa fessam obsidione nostri tenerent urbem, et jam jam capiendam aut tradendam crederent, honesto ut decebat usi consilio, Regem vocant, ut urbs tanti nominis gloriosum nomen Regi propagaret, si illam eo presente superari contingeret. Suggestioni huic admodum honestæ Rex assensum præbuit. Venit ergo ad exercitum suum urbem vallantem, atque in desinenti oppugnatione sex hebdomadibus perduravit, et tandem superata victori manus dedit. Tradita ergo et patefacta civitate, primo quidem die custodes Rex illuc destinavit, ipse autem ab ejus ingressu abstinuit, donec ordinaret, qualiter cum digna Deo gratiarum actione cupitam atque susceptam victoriam ejus nomini consecraret. Antecedentibus ergo eum in crastinum et exercitum ejus Sacerdotibus et Clero, cum solenni apparatu et laudibus hymnicis portam civitatis ingressus, et ad Ecclesiam sanctæ et victoriosissimæ Crucis, pro victoria sibi collata, gratiarum actiones Deo acturus, progressus est. Porrò post hæc Bera Comite ibidem ad custodiam relicto cum Gothorum auxiliis, hiemandi gratia ad propria remeavit.

C.—*EGINHARDI, Annales de Gestis Caroli Magni* (tom. 2, pág. 251.)

Ipsa æstate capta est Barcinona civitas in Hispania, jam biennio obsessa
 Zatus Præfectus eius et alii complures Saraceni comprehensi.....
 Zatus et Roshelmus una die ad præsentiam Imperatoris deducti, et exilio

damnati sunt.—Idem in *Annal. Francorum auctoribus* (pág. 18); *Annal. rerum francic. quæ à Pipino et Carolo Magno gestæ sunt* (pág. 42); *Karoli Mag. vita ab incerto scriptore sed coetaneo* (pág. 60); *Annal. francorum Fuldensibus* (página 539).

Νῦμ. 10

Epitafio de Otón, abad de San Cucufate del Vallés y obispo de Gerona, el cual falleció en 1010 en la batalla de Acbatalbacar: INÉDITO (pág. 117).

(Ocupa la orla de su sepulcro, que está en la nave lateral izquierda del que entra; pero tan maltratado, que sólo pudimos descifrar lo siguiente, bien que lo principal, esto es, la fecha de su muerte es lo más claro):

angeli..e..... portans ad gaudia l... tum condidit eccechoa... (tal vez *Morum*) monachorum laude sonorum et... rbasase... dotum suscepi..... o... thum qu... ars maurorum mactavit pare...t amorum martiri... t... a... quia stat corduba dicta mille decem christi post annos s... ti primas... ptembris spliatu dei novem membris.

Νῦμ. 11

Núm. 50 de la colección de pergaminos de D. Ramón Berenguer I (pág. 120).

HOC EST TRANSLATUM FIDELITER TRANSLATATUM. IN NOMINE SUMI DEI. Ego Berengarius gratia Christi Comes Marchisius qui fui Raimundi dive memorie Comitis filius una cum Coniuge mea Sancia comitissa que fuit Sancionis potentissimi comitis filia vobis omnibus habitantibus Barchinonam civitatem sive ejus suburbium et omnem Barchinonensem comilitatum tan religiosis quam laicis quot quot per vicem franquitatis aliquid in supradictis locis possidetis sive possessuri eritis eternam in Domino atque mansuram felicitatem. Si pia obsequentium ac tota intentione mentis nobis instinctu divino cogimur coequiperare comoda debite mercedis Cautricem nobis Domini gratiam fore credimus motu istius operis et cumula diverse utilitatis pro futura prave videmus tam nobis quam posteris nostris. Igitur quum res que juris vestri sunt aut erunt

juste et potencialiter redintegrare adque cum omni cautela munire nos convenit facinius omnibus suprascriptis et ipsis qui post vos futuri habitatores erunt predictorum locorum scilicet quod jurejurando nobis fidelitatem et adjutorium firmaveritis et firmaverint hanc nostre munificencie retributionem ut ab inceps quidem omnes franquitates aliaque vestra omnia que hodie francha habetis sive habebitis cum operis Dei juvamine et nostra confirmatióne sine ullius inquietudine teneatis atque possideatis. Ita ut nullus nostrorum sive nostre posteritatis seu aliqua alia magna vel parva persona temerario quidem ausu francha vestra omnia predicta sive illa que pertinent ad franchitatem predictæ urbis sive castri Olertule sive Penitensis atque Vallensis et aliarum marcarum predicti comitatus pertemptet auferre aut in quocumque divellere sive corrumpere pasqua quoque et ligna et aquas et concussiones aquarum, fontes et exitus atque regressus spacia que ad vocem predictarum franchitatum pertinet libere habeatis et pro his ullum servicium census nobis aut alicui homini minime faciatis mobilia etiam vestra que hodie habetis aut habebitis ex tunc vel juste perdere non pertimescatis perdere sine vestra sponte in cujuslibet audiencia respondeatis aut distringi à quoquam pavestis nisi solummodo in nostra recta et justiciali presencia sive vice comitis predictæ civitatis aut nostrorum judicum vel eorum qui à nobis acceperint vim audiendi et juste definiendi causas sibi prolatas aliquod autem vicium vel justicie quod hactenus aut per genitores aut per antecessores nostros aut per eorum ministeriales in aliquibus rebus vestros supradictos ad crevit atque ullo modo immissum est census justicie rescindimus et modis omnibus extirpamus nec non ipsas vestras res supradictas ad statum pristinum quem aliquo tempore melius habuerunt intuitu pietatis reducimur ut presencia atque futura tempora vestra omnia inconcusse possidentes à vobis à posteris vestris fidelitas et adjutorium nobis et posteris nostris contra omnes qui nostra aut nostres honores tollere voluerint aut tulerunt aut in necem sive dejectionem nostram intenderint teneantur et immutata serventur attamen ut nostra progenies vel nostri propinqui cum tempus jurandi attingerint eodem modo ipsam franchitatem quo nos confirmant. Si quis sane ex nobis aut aliorum quod fieri minime credimus hoc nostre munificencie donum ac prescripti confirmationem malevole vel quocumque movere aut dirumpere temptaverit primitus iram omnipotentis Dei incurrat et cum Juda proditore flamarum ultricium porcionem accipiat et pro temporali pena componat vobis aut vestris posteris C. libras auri purissimi et insuper hec nostri scripti firmacio vigorem perpetuum obtineat et ut hec nostre gratie largicio meliorem atque inconcussum roborem obtineat juramus per Deum vivum et verum omnium rerum factorem et per altare consecratum Sancti Johannis quod situm est in aula Sancte Crucis Sedis Barchinonensis quod supra scripta omnia sic ab inceps tenebimus et conservabimus sicut suprascriptum est atque confirmatum et contra eos qui hec injuste dirumpere aut minuere presumptores extinterint in quantum potuerimus adjutorium vobis non negabimus Acta sunt hec VI idus januarii anno Dominicæ trabeacionis CXXV Era LXIII^a atque millesima indicione VIII^o anno siquidem Regni Roberti Regis XXVIII^o digniter pollens in Francia Sig † num Sancie gratia Dei Comitisse. Nos qui hanc scripturam firmitatis fecimus et corroborari jussimus. Sig † num Raimundi Berengarii Comitis.